Malten, Ludolf
Cyrenarum origines

LUDOLFUS MALTEN

CYRENARUM ORIGINES

CAPUT PRIMUM

Eberhard J. V.

CYRENARUM ORIGINES.

CAPUT PRIMUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

LUDOLFUS MALTEN
BEROLINENSIS.

DIES PROMOTIONIS: DIE XXVII. M. FEBRUARII MDCCCCIV

1904

Viri doctissimi, qui rettulerunt de hoc opusculu, sunt

Hermannus Diels

Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff.

Dissertationis huius ut pars tantum typis describeretur permisit philosophorum ordo.

Totum opusculum lingua Germanica fiet publici iuris.

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE) TYPOGRAPHUS UNIVERSITATIS
LINIENSTR. 158.

Hermanno Diels

Fr. Hillero de Gaertringen

Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff

sacrum.

Cum in admirabili de ‚Orchomeno Minyisque' libro Odofredus Müllerus primus dilucida illa, quam in eo suspicimus, viri vere historici divinatione etiam de Cyrenarum urbis incolarumque incunabulis verba fecisset, eidem urbi Libycae contigit, ut iterum celebraretur sagacibus Francisci Studniczkae studiis[1]), qui vir doctissimus totam rem denuo tractavit atque de omnibus fere urbis nascentis fortunis uberius disseruit.

Atque hic quidem totius disputationis sumit initium a splendida quadam coniectura, qua antiquius quoddam monumentum, parum antea intellectum, Cyrenensium nomini nostraeque reddidit scientiae. Olympiae enim, quo inde ex antiquis temporibus, ut festos dies agerent celeberrimo omnium civitatum conventu, etiam remotiorum regionum confluebant incolae Graeci, thesauros exstruere solebant, qui, ut iam extrinsecus spectantibus uniuscuiusque civitatis quasi notam praeberent, ornabantur ornamentis, quae ad maiorem sive urbis sive numinis tutelaris gloriam pertinebant. Neque defuisse in eo numero Cyrenensium civitatem probavit Studniczka, qui collectis lapidum calcariorum reliquiis optimo iure coniecit, urbis patronam cum leone dimicantem in Cyrenensium thesauro fuisse effictam[2]). Hanc argumentationem, cui nihil videtur addi, nihil adimi posse, principali hoc loco praedicare atque laudare satis habemus.

Attamen non simplicem nympham hanc esse putandam iudicavit Studniczka, sed magnam Graecorum antiquissimam deam illic apparere sibi persuasit. Hanc antiquitus Minyas veneratos

---

[1]) ‚Kyrene. Eine altgriechische Göttin.' Lips. 1890. In Roscheri L. M. s. v. ‚Kyrene'.

[2]) Kyrene p. 28 sqq.

esse, hanc ex principalibus Thessaliae atque Boeotiae sedibus exorsi cum migrarent illi Theram indeque in Libyam coloniam deducerent, secum in novas sedes portasse.

Ex quo sane ingeniose hasce coniecturas cepit Studniczka, ex Africa fere nil novi; eadem arena florentis urbis reliquias quae avide olim hausit, etiamnunc invidet oculis. At resurrexit ex oblivione insula Thera, cuius intimas patefecit latebras nuper cum hodiernorum colonorum corona Hillerus de Gaertringen[1]), vir nobilissimus, reddiditque ignotam illam nunc fere ex omnibus Graecorum antiquorum sedibus notissimam.

Quam multa sperabant Herodoti Studniczkaeque testimoniis confisi proventura esse ex illius insulae solo vestigia Minyarum gentis, cuius saepe in veterum fabulis exstat nomen, quam tamen manibus prehendere difficillimum est. Neque tamen certiores nos fecit de huius gentis vi naturaque insula Thera. Quam multa porro exspectabamus exempla, quae Thera, oculorum conspectui nudata, nobis datura erat venerationis deae Cyrenae filiique eius Aristaei. Nulla tamen ibi Cyrena, nullus deus Aristaeus[2]): ipsa Thera, si iam eius viscera inspicimus, malum omen praebet illi, qui etiamnunc piis votis desiderat magnam illam deam cultam a Minyis. Ubi sunt, qui, postquam terra Theraea negavit se vidisse olim in se Cyrenae deae asseclas, nobis etiamnunc probaturi sint in Thessalia quidem Minyas hanc deam pia mente esse veneratos, ipsa autem in insula Thera eandem per tot saecula omnino in oblivionem venisse, cuius tamen memoria in Africa subito rursus ita vigesceret in colonorum animis, ut ex huius deae nomine nomen inderent nascenti urbi? Atque de ipsis Minyis, quorum frustra certiora quaeres vestigia in insula Thera[3]), reminiscamur iam Philippum Buttmannum in

---

[1]) Hiller von Gaertringen. Die archaische Kultur von Thera. 1897. Inscript. Gr. ins. mar. Aeg. fasc. III (Blaß in Collitz.-Becht. Griech.Dial.-Inschr. III 1900), ‚Thera' tom. I 1899, II 1903 (Dragendorff), Arch. Anz. 1897, 78 sqq. 1899, 181 sqq. Ath. Mitt. XXIV 1899, 353 sqq., XXV 1900, 461 sqq. ‚Götterkulte von Thera' (in C. F. Lehmann. Beitr. z. alt. Gesch. I 212 sqq.). ‚Aus Thera': Beitr. II 348. Herm. 1901, 134 sqq. Verein der Bakchisten (Festschr. f. Hirschfeld) 1903, 87 sqq.

[2]) Ἀρισταῖος^
Θευχρίσιος Εὐβάτα
(Hiller I. G. Ins. III 744) inter deos recipi nequit.

[3]) de his rebus in capite tertio plura disputabo.

splendida Mythologi II dissertatione, quamquam minus circa singula haerebat, attamen in universum suo iure monuisse, ut cautionem adhiberemus, ubicumque huius gentis nomen nobis incideret. Non quo Buttmannum secuti omnino eruendam esse illam gentem ex historia atque veritate censeamus, attamen pedetemptim unumquodque huius populi testimonium statera examinandum esse videtur.

Ipsa igitur Thera quia monet, ne aut deae Cyrenae aut Minyis Theraeis nimiam habeamus fidem, atque cum eandem undique moveant suspicionem ipsae veterum de rebus Cyrenensibus fabulae, saxum non sarrit, qui de integro totam, quae exstat, materiem percensere atque illustraro studeat. Sit tamen a nympha principium.

Caput I.

I. Primus Cyrenae nymphae continuam nobis praebet narrationem Pindarus (Pyth. IX), quam tamen non primus invenit, sed Eoeam quandam, cuius adhuc exstat initium [1]), secutus ea tantum abstersit, quae in antiquiore illo carmine cum Apollinis divino numine minus ei concinere videbantur. Ipse tamen Pindarus, ut brevi complectar illius narrationem, haec fere tradit:

Apollo quondam virtute puellae, quam fortissime cum leone pugnantem in monte Pelio vidit, inflammatus summo ardore nuptiis secum coniungere cupivit. Itaque Chirone, qui omnium, quae futura sunt, sibi conscius est, ex antro evocato liceatne amore eam complecti quaerit. ‚Sed tu, qui ex eorum es numero', respondet Chiro, ‚quos nihil fugit omnium, quae sane mortales scire vetantur, cur tibi tuo arcessitu ego vates venio? Attamen tibi dicto audientem ut me invenias: huic puellae venisti maritus in Libyamque eam portabis, ubi filium tibi pariet

Ζῆνα καὶ ἁγνὸν Ἀπόλλωνα, ἀνδράσι χάρμα
φίλοις ἄγχιστον, Ὀπάονα μήλων,
Ἀγρέα καὶ Νόμιον, τοῖς δ' Ἀρισταῖον καλεῖν [2]).

Conferentibus Eoeae et Pindari versus

---

[1]) *ἢ οἵη Φθίῃ Χαρίτων ἄπο κάλλος ἔχουσα Πηνειοῦ παρ' ὕδωρ καλὴ ναίεσκε Κυρήνη.* Schol. ad Pind. Pyth. IX 6. cf. Rzach Hes. carm. 1902 fr. 128 (149).

[2]) de hisce versibus quomodo sint intellegendi cf. p. 12.

1. Thessaliam in utroque carmine Cyrenae esse domicilium apparet.

2. Chironem, qui sane per iocum in Pindaro edocet deum de nuptiis prolequae, quae sit proventura ex illo matrimonio, cuius tamen vaticinio ipsi Apollini vati sane opus non esse ipse tecte monet poeta, ita ut omnino possit removeri ex omnis narrationis contextu, eam ob rem optime exposuit Studniczka[1]) carmini insertum esse a poeta lyrico, quia praecipuum in Eoea locum teneret Chiro ibique serio vaticinaretur deo, quae in ludibrium vertebat Pindarus quippe qui hanc inscientiam deo indignam esse iudicaret. Chiro igitur inerat in Eoea.

II. Praeter Chironem etiam nymphae in Africam raptum eidem attribuendum esse Eoeae statuendum est e testimonio Pherecydis et Araethi[2]), qui curru cycnis ornato[3]) eam tradunt in Libyam pervenisse[4]). Videtur enim omnis poscere ratio, ut, quae in re inter se consentiunt Pherecydes atque Pindarus, attribuantur etiam Hesiodo. Quodsi infuit in Eoea raptus in Libyam, concludendum est post Cyrenas conditas compositum esse illud carmen Hesiodeum i. e. circa annum 600.

III. Tertius testis, qui quousque imitatus sit Eoeam, audiendus est, accedit Apollonius Rhodius (Argon. II 500 sqq.). Illius enim, qui in digressu refert, quae *πρότερον ἄνδρες* de Cyrena fabulati erant, testimonium haud ita mihi spernendum videtur ut Studniczkae[5]), quoniam, ipse homo grammaticus, minus e sua ipsius ratione[6]) quam e vetustioribus fabulis ipse sese hausisse fatetur. Atque primum illa referamus, quae iam alii ex Eoea eum cepisse perspexerunt:

1. Cognomina, quibus ornatur Aristaeus, quorum et Pindarus (Pyth. IX 64) et Apollonius (II 507) mentionem faciunt et quae vel ex horum testium consensu Eoeae infigeremus, in-

[1]) Kyr. p. 41.

[2]) Schol. Apoll. Rh. II 498: *Φερεκύδης δέ φησι καὶ Ἄραιθος ἐπὶ κύκνων αὐτὴν ὀχηθεῖσαν κατὰ Ἀπόλλωνος προαίρεσιν εἰς τὴν Λιβύην ἀφικέσθαι*

[3]) hac de re recte iudicat Maaß. Herm. XXV 1890. 403^{1}.

[4]) Bergkii (Gr. Litteraturgesch. I 1005) et Lübberti (de Pind. stud. Homer. et Hesiod. Ind. schol. Bonn. 1881/2 p. 7) sententia, qui raptum ab Eoea alienum fuisse contenderunt, iam a Studniczka (Kyr. p. 42) bene refutatur.

[5]) Kyr. p. 43.

[6]) sic recte Crusius Litter. Centralbl. 1890, 1141 sq.

fuisse re vera huic carmini testatur Servius[1]: ‚Apollinis et Cyrenes filius, quem Hesiodus dicit Apollinem pastoralem' (= *Νόμιον*).

2. Praeterea in Eoea Chironem non solum matrimonium illud Apollini suasisse, sed etiam teste Apollonio (II 509 sq.) huius amoris proli favisse Aristaeumque sicut alios heroes suis praeceptis educasse optime conclusit Studniczka[2]. Efficitur hinc, ut sicut in Apollonio etiam in Eoea

υἷα δ' ἔνειχεν
νηπίαχον Χίρωνος ὑπ' ἄντροισιν κομέεσθαι.

Priusquam autem quartum testem adeamus Callimachum, paulisper hoc loco subsistamus ad rectius perspiciendam Eoeae illius indolem ac rationem.

Quod Aristaeum statim e partu rursus reportari vidimus in Thessaliam, unde rapta erat brevi ante mater, de poetica huius carminis vi non ita magna nos imbuit admiratione: libera enim poesis non ita migrat per pedestria; tale quid redolet doctrinam, certum quoddam, quod assequebatur poeta, consilium. Recte ita sentiri docet Pindarus, qui, ut est poeta elegans atque politus, abhorret ab ineptiore infantis reditu in Thessaliam. Itaque hic, cuius non intererat posteriora Aristaei fata enarrare, sic fabulam mutat, ut ad Horas, quippe quae colant infantem, Telluremque[3]) fingat portari a Mercurio puerulum (Pyth. IX 59 sqq.). Sive e suo ingenio haec novarit sive e Cyrenensium opinionibus (sic ipse Studniczka[4]), gravissimum illud inde concludi necesse esse iam hoc moneam loco, ne ipsos quidem Cyrenenses mansisse Aristaeum in Africa contendisse.

Atque clarius perspiciemus re vera alienum esse a rebus Libycis pastoralem deum, cum iam in Eoeae progressum animum adverterimus. In Eoeis, quarum interest stemmata fingere, mater officiis suis perfuncta est, cum e se peperit clarum illum filium, cuius res illustrare sibi proposuit poeta. Itaque matris

[1]) in Vergil. Georg. I 14. cf. Rzach frg. 129.

[2]) Kyr. p. 41.

[3]) Neque nove Pindarum sic Horas et Tellurem coniungere, illustrant quaedam exempla, quae Spartae Telluris templum cum Apollinis coniunctum esse (Paus. III 12, 8), Megalopoli Spartaeque (Paus. VIII 31, 3, III 18, 10) et Teni (C. I. G. 2342) Horas una cum Apolline coli testantur.

[4]) Kyr. p. 41.

Cyrenae, postquam in Africam delata est atque filium peperit, partibus peractis, filii res atque fortunae spectandae sunt, quibus unis clarius perspectis ipse finis, quo tendat Eoea, potest collustrari. Atque quamquam toti quaestioni ob argumentorum inopiam abunde satisfacere prohibemur, tamen huius carminis capita illustrari posse videntur.

1. Uti semper Apolline patre, sic Autonoa utitur uxore Aristaeus atque Actaeone filio[1]):

vs. Theog. Hesiod. 977 poeta Autonoam refert nupsisse Ἀρισταίῳ βαθυχαίτῃ.

2. E Philodemi verbis *περὶ εὐσεβ.* 147 p. 60 G. (cf. Rzach frg. 131)

. . . ος Ἀκταίωνι καὶ . . . ν, καὶ καθάπερ

. . . ἐν Ἠοία⟨ις

num certius concludi liceat Actaeonis fortunam miserabilem in Eoeis fuisse narratam, quamquam affirmat Rzachius, decernere non possumus, quia non satis constat, sumptane sint etiam illa ante verbum *καθάπερ* ex Eoea — quae si essent, Actaeonis in Eoeis mentionem esse factam pro certo haberemus — an comparari tantum aliquid de Actaeone nescio quo loco narratum verbo *καθάπερ* cum simili quadam fabula ex Eoeis deprompta.

3. Attamen meliorem concipimus spem de Actaeone iam in Eoeis commemorato ex Apollodori testimonio (Bibl. III 4, 4), Hesiodi imitatorem Acusilaum (cf. Clem. Strom. VI p. 267) de Actaeone ita egisse, ut eum Jovis ira fingeret pereuntem, quia insidiabatur Semelae.

4. Neque deest in numero vetustiorum poetarum de Actaeone referentium Stesichorus, quem hausisse ex antiquioribus fontibus inde apparet, quod sicut Acusilaus nuptias Semelae crimini dabat Actaeoni (Paus. IX 2, 3), cum Alexandrinae aetatis poetae sicut Callimachus, ob *Παλλάδος λουτρὰ* eum interiisse novarent[2]).

---

[1]) filii enim, quos in Sardinia genuit Aristaeus, *Χάρμος* et *Καλλίκαρπος* Diod. IV 82, 4 e Timaeo: Geffken ‚Tim. Geogr. d. Westens' 57) e Pindari verbis *ἀνδράσι χάρμα φίλοις* . . . deprompti sunt (Studn. Kyr. 149). Filii illi Ceae procreati (Diod. l. l.) anonymi ignotique sunt.

[2]) In Euripidis Bacch. 339 sq. canes eum dilaceraverunt

κρείσσον' ἐν κυναγίαις

Ἀρτέμιδος εἶναι κομπάσαντ', ἐν ὀργάσιν.

5. Annectam de huius dei veneratione, nullo loco maioribus cultum esse Aristaeum honoribus quam in insula Cea, ubi splendidissimum eius templum prope Carthaeam situm luci reddidit Bröndstedtius[1]. Atque quem ad finem ibi venerentur deum mitem incolae, refert uberius idem Apollonius (l. l.), quem Hesiodeam Eoeam secutum esse vel aliis evicimus testimoniis et amplius explanabimus, ubi de Cyrenae cum leone pugna erit disputandum. Secundum eius narrationem e Thessalia migrat Ceam Aristaeus, ut ibi Sirii fervorem aestumque leniat. Atque re vera iam ante Apollonium viros *μυθολόγους* de hisce Aristaei rebus bene gestis rettulisse testatur Theophrastus (frg. V c. 2, 14 W.): *εἰ δὲ ποτ᾽ ἐξέλιπον* (sc. *ἐτησίαι*) *καὶ Ἀρισταῖος αὐτοὺς ἀνεκαλέσατο θύσας τὰς ἐν Κέῳ θυσίας τῷ Διὶ καθάπερ μυθολογοῦσι, κατόμβρα κ. τ. λ.*

Iam considerantibus

1. Aristaeo non esse filium nisi Actaeonem,
2. Actaeonis fata congruenter enarrari ab antiquioribus testibus, quibus aptior fons non potest inveniri quam Hesiodus,
3. in ipsis carminibus Hesiodeis non posse aptius enarrari filii res nisi cum patris fatis coniunctas sicut semper in testimoniis posteriorum (cf. Diod. IV 82),

verisimile fit Aristaei Actaeonisque res gestas coniunctim infuisse in hac, quam tractamus, Eoea.

Quamquam igitur huius carminis singulae res non iam possunt ad liquidum perduci, tamen ex iis, quae composui, in universum id concludi necesse videtur hoc carmen non finiri in depingendis Libycis Aristaei fatis, sed uti ordiatur a Thessalia nuptiis ibi Apollinis nymphaeque descriptis, ita post digressum illum Africanum rursus reduci in Thessaliam, ubi Chironi venit in disciplinam Aristaeus puerulus, cuius tum res in Graecia, fortasse etiam Ceae peractae summum carminis obtinebant locum; finiri denique Eoeam in describendis Actaeonis filii superbia morteque miserrima. Ipsa Thessalia sane aptius matri *λεχώιον* praebuisset aptioresque infanti cunas: ob unos igitur Cyrenenses

Aeschylus vetustiores secutus rationes, Iovem fecit punientem iuvenis superbiam, quia Semelae insidiabatur, cuius ipse amore tenebatur Iuppiter. (cf. Wilamowitz. introd. in Aeschyli Agamemn. pp. 42 et 45).

[1]) Reisen und Untersuch. in Griechenl. p. 47.

parturire matrem in Libya perspicuum fit: cuius tamen filium ne ab ipsis retineri Cyrenensibus suis in finibus, quin ilico fugiat Libyam atque permaneat in Graecia, iterum mihi monendum videtur.

Sed altera etiam patet via, quam ad perspiciendam Eoeae rationem ingredi necesse est: incipit ista via ab Aristaei, quibus ornatur, cognominibus. Quae eo certior est via, quia illa infuisse in Eoea non coniecturis, sed Servio teste edocemur (cf. supr. p. 9). Sic de his Pindarus (Pyth. IX 63 sqq. [cf. p. 7]): ‚infanti Horae nectar et ambrosiam labris instillabunt reddentque eum immortalem Iovem atque sacrum Apollinem, primam bonis hominibus atque proximam voluptatem, *Ὀπάονα μήλων, Ἀγρέα καὶ Νόμιον*; alii Aristaeum eum invocabunt‘. Aristaeus igitur, ipse Opaon et Agreus et Nomius, Iovi par fit et Apollini. Quaeritur iam, num unum putemus Aristaeum diversas in se continere naturas, quae quasi explicentur singulis quibus fungitur officiis? Aristaeumque, quia omnia in se contineat bona, illa communicare cum hominibus ita, ut modo ovibus modo venatoribus foveat? Sic quidem Usenerus[1]). Propior tamen a veritate abesse mihi illa videtur ratio, ut quondam singillatim exstitisse credamus et Agreum et Opaonem et Nomium, quorum tamen singulae naturae complectebantur in unius numinis vim, quod *ἄριστον* appellabant. Atque re vera Agreus[2]) quidem exstat in Corcyrae insulae nummis atque Opaonem nuper Sam. Reinachius[3]) Larnacae in Cypro lapidibus inscriptum esse demonstravit.

Reminiscamur simili modo etiam Athenis heroem fuisse, quem Medicum[4]) appellabant, Aleae et Tegeae deam quandam, cui nomen erat Caeca[5]), quae numina posterioribus temporibus suam in religionem receperunt Aesculapius et Minerva.

Atque ipsum Aristaeum simili ratione, qua eum sibi subiungere illos videmus deos, in maiora recipi Apollinis et Iovis

[1]) Götternamen p. 52 sq.

[2]) Head histor. numm. p. 277.

Sunt tamen, qui hunc Agreum (*ζαγρέα*) re vera Bacchum esse putent (cf. Eurip. Bacch. 1192).

[3]) Revue des études Grecques 1889, 225 sqq.

[4]) Demosth. de fals. leg. 249; de cor. 129.

[5]) Paus. VIII 23, 1; Strab. VIII 388 (derivo de voce *ἀλαός*).

numina atque eorum fieri cognomen, e Pindari, qui ex Hesiodo hausit, intellegimus verbis. Atque Apollinis filium eum reddunt Horae, quae uniuscuiusque rei *ὥραν* adducunt, quia ipse deus est *ὡρομέδων*[1]) et *ὡρίτης*[2]); de Iove quid miremur, si inter alios etiam Agamemnonis[3]) numen eum arripuisse videmus.

Itaque statuimus huius Eoeae esse rationem, ut alter alterum sibi subiungat deum, inde ab Opaone per Aristaeum usque ad Apollinem. Quem ad finem? Certe ut unius illius summi dei, Apollinis, maiestas augeatur ex eo, quod singulorum heroum naturam atque potestatem suam reddat deosque qui antea ipsi divino honore colebantur, suorum cognominum in numerum recipiat. Theologorum haec est ars, qui consilio atque ratione student moderari polytheismum, ut similes in unam conferant personam; Delphos, ut omnium, qui lingua Graeca utebantur, locorum quasi umbilicum facerent, non frustra talibus carminibus annitebantur dei Delphici assidui cultores.

Itaque in eiusdem dei nos transfert haec Eoea et regionem et religionem, cuius in honorem compositum esse aliud quoddam carmen Hesiodeum aperuit Wilamowitz[4]).

Haec igitur memoria teneamus:

1. nymphae in Libyam raptum exstare in huius Eoeae forma quasi appendicem, quae sine maiore laesi contextus periculo possit resecari,

2. et Aristaei res et totius carminis fines rationesque spectare ad res regionesque Graecas,

3. ipsum carmen esse theologiae Delphicae specimen.

Gravissimam denique moveamus quaestionem de Cyrenae pugna cum leone. Relinquitur enim, ut decernamus, infueritne iam in carmine Hesiodeo heroidis illud facinus gloriosum an hauserit aliunde, quae de hoc proelio refert Pindarus.

Atque Apollonius, Hesiodum ut vidimus saepius imitatus, simplicem nobis praebet narrationem nympham patris oves

---

[1]) C. I. G. 2342.

[2]) Lycophr. 352.

[3]) Iuppiter Aristaeus (Serv. ad Georg. I 14), Iupp. Agamemn. cf. Sam. Wide Lakon. Kulte 334), Iuppiter Euphemus Lesbi (Hes. s. v.), Apollo Sarpedonius (Diod. 32, 11), Apollo Hyacinthus (Nonn XI 330), Apollo Iasonius (Ap. Rh. I 960), Apollo Maleatas (cf. Wilamowitz. Isyllos 98 sq.).

[4]) agitur de Aesculapio et Coronide Wilamowitz. Isyllos 57 sqq.

pascentem dei libidinem excitasse eiusque gustasse amorem. Virginis pulchritudinem satis fuisse Apollini minus e poetae Alexandrini ratione explicamus sicut Studniczka[1]), quam e veterum fabularum usu, in quibus corporis forma atque venustate optime merentur de deis viris puellae.

Apollonio subvenit Callimachus.

IV. Vertamur primum ad III hymni vs. 206 sq., quibus Dianam donasse Cyrenae amicae duos canes narratur, in quibus Hypsei filia ad tumulum Iolciacum certaminis praemium sibi acquisiverit. Quae fuerit illa victoria, qua eodem loco, quo condita erant Peliae ossa, potiretur Cyrena, e Spanhemii temporibus vexavit viros doctos, qui huic hymno operam dabant, atque quia in omnium ore erant Pindari de Cyrena versus, quamquam de leone nihil commemorat Callimachus, tamen abusi poetae silentio de hac pugna significare etiam poetam Cyrenaeum sibi persuaserunt. Sed putemusne ita lusisse poetam, ut de ipsa cum leone pugna, siquidem in animo habuisset, consulto iuberet Musam silere, in fingendis tamen canibus circum nympham salientibus gloriolam sibi quaesisse? Ne tamen longi simus — Vahlenus[2]) nuper uberius disserens de hoc loco gravissimis causis istos sustulit errores. Verba enim Callimachi *παρὰ τύμβον Ἰώλκιον* (vs. 208) iam Meinekius perspexit pertinere ad *ἆθλα ἐπὶ Πελίῃ*, atque talibus in certaminibus homini mortuo tributis pugnam quandam cum leone inseri plane abhorret ab usu ludorum funebrium. Uti tamen ibi luctabatur cum Peleo Atalante (Apollod. III, 13, 3; III 9, 2), uti *ἐς ἅμιλλαν δρόμου* sese parabant Melanion aliique heroes Iphiclo victore (Paus. V 17, 10), ita inter canes celeritatis praemium assequebatur Cyrena. Simili modo etiam Achilles ‚persaepe vago victor certamine cursus flammea praevertit celeris vestigia cervae[3])‘. Cyrenae partes quae fuerint in illo agone nos non accuratius nunc [illegible] neque inferamus in remotae fabulae tenebras faces fortasse fumi plus quam lucis daturas.

---

[1]) Kyr. p. 43.

[2]) Sitzungsber. der Berl. Akad. 1896. 797 sqq.

[3]) Cat. 64, 340; affert Vahlenus p. 822. Ne ex canibus quidem concludi posse hoc loco agi de leonis pugna, optime demonstravit Vahlenus l. l.

Attamen ipsum Callimachum fortasse ratione et consulto incertum reliquisse, quae fuerit Cyrenae illa laus, cum in celeberrimo illo heroum Thessalorum quasi comitio cum aliis Dianae sodalibus eam induceret convenientem, evinci posse sperarim interpretandis illis versibus, quibus iterum uberius idem poeta de nymphae laudibus certiores nos fecit.

Agitur de hisce versibus (II 85—96):

85. *ἦ ῥ' ἐχάρη μέγα Φοῖβος, ὅτε ζωστῆρες Ἐνυοῦς*
ἀνέρες ὠρχήσαντο μετὰ ξανθῇσι Λιβύσσαις,
87. *τέθμιαι εὖτέ σφιν Καρνειάδες ἤλυθον ὧραι.*
οἱ δ' οὔπω πηγῇσι Κύρης ἐδύναντο πελάσσαι
89. *Δωριέες, πυκινὴν δὲ νάπαις Ἄζιλιν ἔναιον.*
τοὺς μὲν ἄναξ ἴδεν αὐτός, ἑῇ δ' ἐπεδείξατο νύμφῃ
91. *στὰς ἐπὶ Μυρτούσσης κερατώδεος, ἧχι λέοντα*
Ὑψηὶς κατέπεφνε βοῶν σίνιν Εὐρυπύλοιο.
93. *οὐ κεῖνου χορὸν εἶδε θεώτερον ἄλλον Ἀπόλλων,*
οὐδὲ πόλει τόσ' ἔνειμεν ὀφέλσιμα, τόσσα Κυρήνῃ
95. *μνωόμενος προτέρης ἁρπακτύος· οὐδὲ μὲν αὐτοί*
Βαττιάδαι Φοίβοιο πλέον θεὸν ἄλλον ἔτεισαν.

Manifestum est vs. 85 sqq. adumbrari a poeta speciem et formam dierum festorum, quos Apollini Carneo agebant Dorienses, nondum facti Cyrenenses, sed etiamtum Azili habitantes (cf. Herod. IV 157), priusquam appropinquarent *πηγῇσι Κύρης*. Hosce, cum Azili choros ducerent, conspexit Apollo una cum Cyrena, stantes *ἐπὶ Μυρτούσσης*, quo loco leonem vicerat Hypseis, qui ibi Eurypyli Libyae regis boves vastaverat.

Obstupescimus. Quo tandem, quaerimus e novo hoc teste, loco? Nonne Pindaro auctore pro certo habemus in Thessalia illam pugnasse commissaque demum pugna raptam esse in Libyam? Concedam fuisse raptam, respondet Cyrenensis, attamen de ipso pugnae loco confidatis conscio mihi de rebus antea ipsa in patria gestis meque sequamini testem, qui prope ipsam natus sim Myrtussam, quam celebravit olim urbis meae nympha tutelaris.

„At quantas hic delabitur ineptias poeta celeberrimus, quippe qui pugnantem faciat virginem in Libya, postquam paulo ante a deo gravida est facta": sic unius rationis patroni. Quicumque tamen tali modo iudicat, non satis sese perspexisse demonstrat rationem, qua hoc in hymno res solet depingere

Callimachus. Delectat enim nos poeta Alexandrinus minus ita, ut pertexat unam et continentem picturam, in qua sine intervallis persona asseratur personae, res rei, sed ut formet secretas, quae ipsae omnia sua complectuntur, tabellas, lineis clare descriptis: quae singulae picturae quasi forma lignea includuntur illo artificio, ut primus cuiusque scenae versus aut integer aut similis in extremis iteretur coronidis instar. Velut hoc loco vs. 93

οὐ κείνου χορὸν εἶδε θεώτερον ἄλλον Ἀπόλλων

excipit versum 85 sq:

ἦ ῥ' ἐχάρη μέγα Φοῖβος ὅτε ζωστῆρες Ἐνυοῦς
ἀνέρες ὠρχήσαντο μετὰ ξανθῇσι Λιβύσσαις

ita, ut hos intra versus quasi parva tabella depingatur Doriensium saltantium Apollinisque spectantis imago.

Hac imagine duobis illis versibus perspicue circumscripta novam annectit poeta sententiam: eundem dicit deum, qui iam ante Cyrenas conditas favisset condituris, eo magis nunc urbem florentem suo amore complecti, quia olim ipsam nympham raptam deposuisset eodem loco, quo postea exsurrectura erat urbs. Haec nova, quae versibus prioribus adduntur, minime licet miscere cum eis, quae in illa imagine erant depicta, qua in re miramur artis versutiam, qua Callimachus componit res, quae per se contrariae sunt, ita ut nemo hac discrepantia offendatur, qui quidem operam dat, ut penetret ad huius tam singularis artis medullas.

Atque extremis illis versibus 95 sq., quos addit priori illi ut ita dicam imagini, sane significare doctum Alexandrinum de usitata Pindarica fabulae forma elucet; nostrum tamen est e prioribus illis de Myrtussa significantibus, qui redolent originem Cyrenensem, elicere quasi e terrae cavernis illud aurum, quod iam nobis monstrat ipse Cyrenensis.

Atque Studniczka, qui ante complures annos tractavit hunc hymnum[1]), cum ingressus est viam, ut omnibus, quae narrat poeta, aliam supponeret vim et auctoritatem, ipsum Callimachum nymphae pugnam transtulisse ratus e remota Thessalia in Libyam, eo consilio, ut sub luctantis nymphae specie illustraret Berenicae in leonem Demetrium facinus gloriosum. Hunc enim,

[1]) Herm. XXVIII 1893, 1 sqq.

cum anno 258 Cyrenae versaretur[1]) ibique frueretur amore Apamae morte Magae viduatae, Berenice interfecerat, Ptolemaei Euergetis sponsa. Causarum, quibus nititur Studniczka, infirmitatem verbosius illustrare Vahleni[2]) acutis argumentationibus supersedemus, neque difficile est perspicere quam infirmis fundamentis istae superstruantur turres. Ut enim omittam optime in se cohaerere verba Callimachi, ista eam ob rem perversa videtur esse ratio, quia exordium sumit a coniecturis extrinsecus depromptis; quas coniecturas, quae per se carent certioribus argumentis, cum inculcant poetae verbis, non solum poetae sententias satis intellexisse opinantur, sed etiam bene divinasse arcanas quasdam poetae rationes, quas cautius ille occultarit. Contra ab ipsius poetae verbis videtur esse capiendum initium, quibus eum non ita opinamur abuti, ut, quae sentiat, obtegat. Neque aliud quicquam dicit nisi quod in Africa ad Myrtussam pugnaverit Cyrena. Unum fortasse concedamus Studniczkae, quosdam, qui poetae ipsius temporibus accuratius legebant eius

[1]) Post Magae mortem (a. 258: cf. B. Niese Gesch. d. griech. u. maced. Staaten II 142 sq.) necemque Demetrii Pulchri (eodem anno) Ptolomaeus, qui Magae iussu sponsam habebat Berenicam, Cyrenensium designatus erat rex, qui matrimonio facto accepturus erat urbis imperium. Quod imperium nescimus quibus causis dilatum sit usque ad annum 247, quo anno Euergetis patre Philadelpho mortuo ‚novo auctus hymenaeo' arma tulit contra Seleucum II (Vahlen, Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1888, p. 1380 sqq.). Iam exstant in altero Callimachi hymno gravissima quaedam verba, quae Gerckium (Rhein. Mus. 1889, 253) deceperunt magnosque moverunt Vahleno scrupulos (Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1896, p. 815):

καὶ ὤμοσε τείχεα δώσειν ἡμετέροις βασιλεῦσιν

(67 sq.), quae me quidem iudice ad priorum Cyrenarum regum tempora omnino referri non possunt, quod docet numerus pluralis *ἡμετέροις βασιλεῦσιν*: nam primo tantum regi donavit urbis muros Apollo. Itaque videntur referenda esse illa verba ad ipsius poetae aetatem, qui, ipse Alexandriae habitans, tecte monet de Aegyptiorum regibus tum temporis regnum obtinentibus (‚unserer Dynastie'). Quae si vera sunt, Callimachi hymnum post annum 258 natum esse elucet, ante tamen 247, quia futurum *δώσειν* de accepto iam imperio nullo modo potest intellegi. Etiam Wilamowitzius, praeceptor meus, breviter annotat Nachr. d. Götting. Ges. 1893, 744 sq. sese hunc hymnum inter annos 257 et 250 compositum esse iudicare. In tertio hymno tale quid temporis indicium inveniri posse non videtur. Simplicior tamen huius hymni forma, qui in asserendis conficitur Dianae fatis, in antiquiorem poeseos Callimacheae condicionem nos videtur revocare.

[2]) Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1896, 821 sqq.

versus atque audiebant de notissimo nymphae proelio ad suam, quam incolebant, Myrtussam quondam commisso, sensisse quasdam intercedere similitudines inter nymphae pugnam atque Berenicae illud facinus, quod, quia paulo ante excitarat hominum animos, in omnium haerebat memoria. In divinandis hisce similitudinibus et ipsi poetae et lectori quasdam infuisse voluptates cogitari potest. Istarum tamen voluptatum blanditiae, ut possent in legentium animis excitari, necesse erat — ut iam ad gravissima ascendamus — infixa esset alteque haereret in omnium, qui legebant, animis earum rerum notitia — i. e. pugna ad Myrtussam commissa — quibus annecteretur similium memoria. Callimachus igitur, qui simplicibus verbis ad Myrtussam dimicasse nympham tradit, ut nil novi legentibus attulisse, ita de notissima quadam fabula Cyrenenses monuisse putandus est. Poeta igitur, ut plane dicamus, de Myrtussa significans, neque novam neque obscuram affert fabulam, sed Cyrenensium animis familiarem. *Ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω* testibusque utitur hac in re eiusdem urbis, in qua ipse ortus est, incolis, qui quondam puero monstrarunt illum locum, quo urbis numen tutelare de primis civibus interfecto illo monstro optime meritum erat. Leonum igitur arida nutrix iam ante Callimachi tempora etiam hunc tulit leonem hancque tulit virginem, quae eius vim sustinebat.

Attamen inde per annos ac saecula in antiquiores Cyrenensium condiciones nobis retrogradientibus, omniane obruta sunt huius leonis Libyci puellaeque, quae in Libya cum domuit, vestigia? In litteris sane nulla exstant testimonia, quod tamen non mirandum. Quem enim scriptorem de Libyca illa *λεοντοφόνῳ* putamus narrasse nisi qui ipsa in urbe natus esset? Atqui unius Cyrenensis, quem ante Callimachum de rebus patriis rettulisse licet suspicari, Eugammonis, ne unus quidem exstat versus![1] Primus igitur nymphae Libycae fortitudinis praeco non potest inveniri nisi tertio demum a. Chr. n. saeculo.

Attamen ubi silent chartae, loquuntur lapides. Et sexto iam saeculo viguisse in Cyrenensium animis huius *λεοντοφόνου* gloriam, maximo est testimonio illud monumentum Olympiacum, quod ibi Cyrenensium thesauro fuisse affixum ipse perspexit Studniczka.

[1] Accedit Aristippus philosophus Cyrenensis, de cuius tamen de Libya libris nihil constat (Diog. Laert. II 83).

Tamen huius monumenti vim singularem omnino non perspexit vir doctissimus. Nam cum Olympiae omnium conspectui propalam facerent pugnantis nymphae effigiem suae urbis patronam, per se intellegitur virginem, cui hunc tribuerent honorem, de ipsius urbis augenda gloria quondam optime meruisse. Quid tamen intererat Cyrenensium urbis gloriaeque terrae Libycae, si qua in remota Thessalia rem bene gesserat nympha? Eiusdem igitur sunt putandi catenae quasi anuli hoc testimonium lapideum et illud poeticum. Olympiacum illud monumentum ineunte compositum esse saeculo sexto recte indicavit Studniczka[1]) atque exeunte saeculo septimo ipsa condita est urbs, ut antiquissimis urbis temporibus exortam illam intellegamus fabulam de numine benevolo, quod in necandis leonibus, invisis illis periculosisque advenarum, ut ita dicam, finitimis (cf. Paus. X 15, 7) periclitantibus subvenit colonis.

Contraponitur iam huic fabulae Libycae eiusdem forma, quam exhibet Eoea de puella in Thessalia dimicante: quaenam inter utramque alternae exstant rationes? Reminiscamur, quae nos docuerat Eoea. Versabamur illic in religione dei Delphici, cuius in honorem theologi cuiusdam poetae studiis quasi immolabantur minores quidam dei, ut superstrueretur omnium horum aris insigne atque amplum templum Delphicum. Huius carminis quam maxime interfuisse propagare Apollinis Delphici honorem atque dilatare eiusdem maiestatem consentaneum est. Iam occurrebant poetae illi, dei Delphici rationibus prospicienti, in Libyae oris pii Apollinis — Carnei tamen! — cultores, accepit idem de *Κυράνᾳ*[2]) iisdem hominibus celebratissima, ipse reminiscebatur Thessalae cuiusdem puellae *Κυρήνης*[3]), quam nescimus quo primum tempore inter suos amores receperit Apollo matremque fecerit Aristaei: atque summa egit sollertia ut suo illam ascisceret provinciam deo Delphico commixtis duabus illis puellis atque in unam conferruminatis personam. Duas iam cum reddidisset unam, hanc unam suum fecit deum Delphicum rapuisse inde e Thessalia atque iam multo ante Cyrenensium adventum in illis deposuisse regionibus Libycis. Iam melius videbatur

[1]) Kyr. p. 39.
[2]) de huius rebus cf. infr. p. 21 sqq.
[3]) de alterius cf. p. 31 sqq.

meruisse de Cyrenensibus Apollo Delphicus, qui prioribus iam temporibus urbis solum suo gressu sacrum fecit, quam ipse Carneus, Doriensium archegetes, quem secum Thera portarunt huius terrae principes accolae Graeci. In fingendo igitur nymphae raptu primus illum nexuit inter utramque terram huius Eoeae auctor nodum, qui nobis est discidendus, ut simplices cognoscamus formas. Quae eo facilius confundebantur puellae, quia consonent nomina, quae tamen aliis conformata esse rationibus infra accuratius illustrabitur.

Hic igitur Cyrenensium de λεοντοφόνῳ peculiaris fabula („eine kyrenäische Ortssage"): *Κυράνας* facinus quasi exemplar est prototypon ipsorum incolarum cum leonibus pugnantium. Illic Aristaei mater Thessala, patris ovis pascens: atque quia huius filio Aristaeo re vera nihil erat negotii in Libya quod iam bis monui (pp. 9 et 12), ad istas coactus erat descendere ineptias Eoeae auctor, ut infantem filium fere e matris ventre faceret redeuntem in Thessaliam ibique remanentem. — Eundem poetam num credamus iam adhibuisse in suo carmine illam cum leone pugnam, quam *Κυράνας* Libycae propriam esse vidimus? Sane in universum non ita magni refert, uter poeta, sive ille Hesiodeus sive Pindarus, primus hanc leonis pugnam transtulerit e Libya in Thessaliam. Neque scire me confiteor, unde certius possit diiudicari haec rerum difficultas. Quia tamen causa inveniri nequit, quae commoverit Apollonium, huius Eoeae imitatorem, ut illam pugnam deleret, coniecerim nondum infuisse in carmine Hesiodeo hoc virginis facinus gloriosissimum. Pindarus attamen, cuius artiores quidem cum Cyrenensibus necessitudines decem annis post (cf. Pyth. IV et V) clarius apparent, fortasse iam antea edoctus de *Κυράνας* forti facinore, eleganter iam in Thessalia hoc commissum esse proelium coniecit, qua re commutata fieri posse perspexit, ut uberius deplanando periculoso nymphae ante dei oculos proelio poetica sui carminis vis augeatur et maiore afficiatur virgo splendore. Denique Callimachus, ubi in III. hymno Thessalae virginis fecit mentionem, consulto nihil de leonis proelio, ubi tamen disserit de nymphae patriae rebus (hymn. II) illustrare non omisit huius fortitudinem.

Hic subsistamus. Myrtussam enim, quam possedimus, primum firmioribus saepiamus munitionibus, accuratius refingentes

ac tamquam recreantes ipsorum Cyrenensium de *λεοντοφόνῳ* fabulas. Inde tum copias educamus contra *Κυράνας*, quas dicunt, homonymas; deinde signa vertantur in magnam veteremque Graecorum deam, quam ex suo ipsius ingenio ante quattuordecim hos annos, alteram Minervam, procreavit Studniczka.

Primum illa, quae enucleatis Callimachi verbis evicimus, augeamus novo addito testimonio. De eadem enim fabulae forma, quam e remotissimis urbis temporibus Cyrenensium in animis haesisse demonstravimus, accuratius Callimacho atque copiosius edocet Acesander, qui urbis res aliquot de Cyrenis libris descripsit:

Ἀκέσανδρος ⟨δὲ⟩ ἐν τοῖς Περὶ Κυρήνης ἱστορεῖ ἐπ' Εὐρυπύλου βασιλεύοντος Κυρήνης ὡς ὑπὸ Ἀπόλλωνος διακομισθείη ἡ Κυρήνη, λέοντος δὲ τὴν χώραν λυμαινομένου προθείη τὴν βασιλείαν ὁ Εὐρύπυλος ἆθλον τῷ ἀποκτενοῦντι τὸν λέοντα· τὴν δὲ διαχρήσασθαι αὐτόν, παῖδας δὲ αὐτῆς (non addit e quo! cf. infra) *γενέσθαι Αὐτοῦχον καὶ Ἀρισταῖον* (Schol. Apoll. Rh. II 498). Idem Acesander etiam regnum accepisse virginem victricem narravit: *Ἀκέσανδρος ἐν πρώτῳ Περὶ Κυρήνης μετ' αὐτὸν* (sc. regem Eurypylum) *βασιλεῦσαί φησιν Λιβύης Κυρήνην τὴν Ὑψέως.*

Hic testis, quippe qui plura afferat Callimacho, hausisse ex illo non potest, gratiasque ei agimus, quod eius testimonio nisi clarius perspicimus, quid velint Callimachi verba: *λέοντα βοῶν σίνιν Εὐρυπύλοιο.* Eurypylum enim refert regnum promisisse ei, qui leonem necasset; atque extitisse monente rege puellam Cyrenam, quae huius portenti vim fortiter sustineret. Re peracta duos eam peperisse filios, Autuchum et Aristaeum. Ex quo, quaerimus? Scilicet Aristaeum ex Apolline: haece re vera spectare ad nympham Thessalam supra collegimus. Attamen, qui prior vocatur, Autuchus, quis est? In Eoea huic locus non est neque Apollo sese huius patrem esse gloriatur. At patebit eius origo, si consideraverimus talium fabularum quis soleat esse finis. Nympha succurrit regi, pergratum ei facit. Quonam tum vinculo coniungentur? Praemium victrici praebebit ille. Certe. Nihilne maius? Ad regnum via non est nisi per lectum. Autuchum coniiciendum est Eurypyli et Cyranas Libycae fuisse filium. Antiquitus igitur ita fabulantur Cyrenenses: „regnabat in Libya vetustis temporibus rex quidam (Eurypyli nomen posterioribus demum temporibus ei esse impositum in altero capite demon-

strabimus: vetus huiusmodi fabula solet carere nominibus), cuius greges agrosve vastabat leo. Huius impetui quia nihil potuit obsistere, promisit se regnum esse daturum ei, qui hoc monstrum necasset: virgo Cyrana suscepit proelium, vicit ad Myrtussam, regnum accepit simulque regis amorem, e quo peperit Autuchum“.

Nihil igitur in ipsorum Cyrenensium fabella de Apolline, nihil de Aristaeo, nihil de raptu e Thessalia: haec omnia debentur Eoeae. Contra Autuchum, „qui possidet terram“, veterem Cyrenensium archegetam fuisse, accuratius perspicietur, si iam reddidero huic heroi fanum suum, quod prope urbem exstruxerant incolae nymphae domesticae proli. Ptolemaeus enim (Geogr. IV 4, 4) prope Cyrenas commemorat quoddam *Ἀπιούχου ἱερόν*[1]). Haec sane corrupta corrigenda sunt in *Αὐτούχου ἱερόν*[2]). Adiungam aliud de *Αὐτώχῳ*, ut utar forma Cyrenensi, testimonium, quod semper decepit viros doctos[3]). Justinus (XIII 7, 7 sqq) Cyrenam quattuor dicit peperisse filios: Autuchum, Aristaeum, Agreum, Nomium, quorum tres in patriam reverterint. Ipsum Aristaeum pergit dicere postea Arcadiae regnum obtinuisse: hunc igitur inter tres illos fuisse elucet. Qui fuerint duo illi, quos praeter Aristaeum in patriam rediisse testatur auctor, uberius explanare inutile videtur: nimirum sequebantur Aristaeum illi, quos ex Aristaei cognominibus unus Iustinus eiusdem reddidit fratres: Agraeum dico et Nomium. Substitit igitur in patria Autuchus verus nymphae Libycae filius: Eoeae autem et Pindari auctoritate effectum est, ut eius fama homines peregrinos lateret. Itaque factum est, ut posteriores quidam Aristaeum dicerent invenisse silphium[4]); porro ut Diodorus (IV 82, 4) eum fingeret e Libya iter facientem in Sardiniam, unus tamen Diodorus: alii[5]) enim e Graecia in Sardiniam eum esse pro-

1) cf. *Ἡράκλειόν τι ἱερόν*, quod prope urbem affert Strabo (p. 838).

2) E. Pauli-Wissowae R. E. igitur eruendus est articulus ‚*Ἀπτούχου ἱερόν*‘. Grashofii coniectura in Wilbergii Ptol. l. l. (*Σκ*)*απτούχου* = *Ἀσκληπιοῦ* sc. Balagrae culti falsa est. Ille Aesculapius *ἰατρός* appellabatur (Paus. II 26, 9: ex Istro Callim. Wilamowitz. Isyllos 84[61]).

3) cf. articulum *Αὔτουχος* in Roscheri L. M. et in Pauli-Wissowae R. E. ubi erraverunt Stoll et Dümmler.

4) schol Aristoph. equit. 894.

5) cf. Sallust. hist. II 1, 7: Aristaeus Thebis per Cretam in Sardiniam iter facit. Paus. X 17, 3: *ἔτεσι δὲ ὕστερον* sc. postquam uni Libyes in Sardi-

fectum testantur[1]). Postremo de loco quaedam annotemus, quo proelium susceperit Autochi mater Cyrana. *Παρὰ μυρτώσιον αἶπος* Apollonius Rhodius deum facit deponentem puellam, *ἐπὶ Μυρτούσσης* luctatam esse eandem tradit Callimachus. Illud verbum *μυρτώσιος*, si quis quid omnino sibi velit eius stirps et radix, inquisiverit, dubitari non potest, quin derivandum sit de verbo *μύρτος*, ita ut ***Μυρτώσιον αἶπος*** significet ‚Myrtenhöhe'. Unde tamen, monet me Wilamowitzius meus praeceptor, illud *ω* in epicis Apollonii carminibus? Dialectus quidem epica poscit *ου*![2]) Ergo illud *ω* alio explicari modo non potest, nisi ut e dialecto Dorica sumptum esse censeamus. Atqui notum est Cyrenenses dialecto quadam esse usos, quam severiorem Doridem appellare placuerat Ahrensio. Itaque, si in poeta epico talem invenimus formam, usurpatam de loco quodam, quem Cyrenis exstitisse compertum habemus, concludi necesse est Apollonium illud *ω* in epicos suos versus ex ipso Cyrenensi loci nomine transtulisse. Callimachus sane praebet *ου*, quia discrepat cum aliis poetis Alexandrinae,

---

niam migraverunt *ἀφίκοντο ἐκ τῆς Ἑλλάδος . . . οἱ μετ' Ἀρισταίου*. In ipso Diodoro V 15 Aristaeus inter Sardiniae colonos non est. (cf. *Θεσμώσια* 100, Schol. in Dion. Perieg. 458, Solin 17, p. 46, 8). Diodorum IV 82, 4 sequitur Sil. Ital. XII 365 sqq.

[1]) Valde errat Studniczka (Kyr. p. 106), qui *οἰοπόλον δαίμονα* i. e. Tritonem, qui obviam venit Argonautis, cum in Libya versarentur, esse Aristaeum coniecit 1. quid sibi vult in desertis illis fertilitatis numen? 2. ipse Pindarus (Pyth. IV 20) tecte monet de Tritone: illum enim deum dicit apparuisse *Τριτωνίδος ἐν προχοαῖς*, quod non temere addidisse putandum est poetam (in univ. cf. Schol. Ap. Rh. IV 1552). 3. qui oves pascit, est *οἰπόλος*, non *οἰοπόλος* (cf. Christ. Sitzungsb. Bayr. Akad. 1890, 217[1]; affert Studniczka in Roscheri L. M. l. l. 1745). 4. huius verbi vis optime illustratur quodam Apollonii versu, qui dicit IV 1319 sqq. defessis heroibus apparuisse *οἰοπόλους χθονίας θεὰς*, quas appellat herossas (de his cf. Wilamowitz. introd. in Aesch. Eumen 215[2]). Etiamne illas inter oves versari putemus? Minime! cf. vs. 1331· *ἔλατ' ἐρημονόμοι κυδραὶ θεαί* cf. etiam Escher. Triton Lips. 1890, 71[2]. Verbi igitur ‚*οἰοπόλος*' vim conferam cum loco quodam Odysseae (δ 367), quo dicitur *Εἰδοθέη . . . ἥ μ'* (sc. Menelaum) *οἴῳ ἔρροντι συνήντετο νόσφιν ἑταίρων*. 5. in universum multo maiores tribuit Aristaeo in Libya partes, quas supra coercui. Idem deus, qui Ceae splendido celebrabatur templo, nullo Cyrenis cultu ornabatur.

[2]) in universum conferas illud *Μυρτοῦντιον μεταξὺ Λευκάδος καὶ τοῦ Ἀμβρακικοῦ κόλπου* Strab. p. 459, *Μύρσινος τὸ νῦν Μυρτοῦντιον* in Elide (Strabo VIII p. 341 ex Apollodoro: Niese Rhein. Mus. 32, 277) cf. St. Byz. s. v. ***Μύρσινος***; Paus. II 26, 4 *Μύρτιον* (e coniectura Wilamowitzii Isyllos 85[62]).

ut diximus, aetatis maxime in eo, quod abhorret ab omni dialectorum mixtione. Iam si comparamus utramque formam *Μυρτώσιον ἄλσος* et *Μυρτοῦσσα*, quaerentes quanam voce Cyrenenses ipsi appellaverint hunc collem murtis ornatum — quis dubitabit quin illius fuerit nomen *Μυρτῶσσα*?

Sed nondum contenti quaerimus, ubi fuerit Cyrenis hic collis Myrtossa. Erat in occidentali urbis parte templum quoddam celebratissimum Apollinis Cyrenaici, quod applicatum erat ad illius collis declivitatem, in quo antiquior[1]) urbis pars erat exstructa. Iam iuvat afferre inscriptionem quandam, quam invenerunt ante multos annos ad septentrionalem huius templi partem, quae nos docet huic Apollini nomen fuisse *Μυρτῴῳ*[2]).

ὑπὲρ τῆς Νέρωνος Κλαυδίου
Καίσαρος νίκης καὶ σωτηρίας
καὶ τοῦ οἴκου αὐτοῦ παντός
Ἀπόλλωνι Μυρτῴῳ Μ. Ἀντώνιος
Γέμελλος ἐκ τῶν τοῦ Ἀπόλλωνος.

Unde coniciendum est collem, cui affixum erat Apollinis Myrtoi templum, illam Myrtossam fuisse. Accedit, quod Smith et Porcher, quorum hac in re eo pluris aestimandum est testimonium, quo minus harum, quas exposui, rerum ignaris infuerit quaedam ira sive studium, annotare non inutile putarunt, cum hisce locis versarentur sese miratos esse in hac regione, qua vergit ad urbis partem occidentem, abunde murtos undique ibi florentes[3]). Natura iis eis, quae quoque loco sponte sua profert, maxime sibi solet constare.

Atque liceat mihi de cognomine huius novi Apollinis — quem Boeckhius (C. I. Gr. l. l.) nescio quo pacto coniunxerit cum mari Myrtoo — nonnulla addere testimonia. Cypri enim insulae campos et silvas peragranti alter obviam venit Apollo murtis ornatus, quem ibi nominabant *Μυρτιάτην*[4]). Apollinis soror Diana, quam ob causam penitus oderit murtum, lepide exposuit

---

[1]) Hoc contra Studniczkam in tertio capite probabo, ubi de locorum descriptionibus uberius disseram.

[2]) C. I. G. III 5138 cf. Smith-Porcher Discov. at Cyrene nr. 13.

[3]) Smith-Porcher l. l. p. 27, over the luxuriant abundance of myrtles and oleanders.

[4]) Devia Cypr. 24—28, Max Ohnefalsch-Richter ‚Homer und Bibel' p. 25[1], iam Oberhummer, ‚Die Insel Cypern' 264.

Callimachus (h. III 201); attamen quibusdam locis ne illam quidem deam contemnere murtos, ostendere videntur quaedam caerimoniae, quibus Boeis Diana celebrabatur[1]).

Revertamur iam ad templum Apollinis Myrtoi ad illustrem situm Myrtossam, quae quondam tulit nomen Cyranae inventum. Effluit ex hoc colle coram templo rivus, cuius fontem appellabant *Ἀπόλλωνος κράνα*[2]); ipsi rivo nomen erat *Κύρα*. Iam contendo antiquos secutus testes (cf. infr.) huius Cyrae nympham fuisse Cyranam, cuius nomen sicut ipsius urbis derivandum sit de nomine huius rivi, qui originem ducit ex ipsius collis visceribus, quem ipsa olim sanxit nympha.

Sed antequam ad haec probanda progrediar, audiamus, quae nobis opponit Studniczka[3]). Dicit sic: „nach dem Bach (Kyre) könnte die ganze Stadt die ‚kyrische' benannt worden sein. Aber es läßt sich nachweisen, daß dem nicht so war. Der Name Kyrene ist nämlich mitnichten an den Ort gebunden, sondern gar weit verbreitet."

Probaret igitur Studniczka nostram sententiam, nisi unum ei videretur obstare, quod non huius unius loci in Libya siti proprium sit hoc nomen, sed etiam in aliis inveniatur regionibus. Videamus igitur qua ratione huic difficultati possimus mederi.

Agitur de his tribus feminis ‚homonymis':

1. de ‚Cyrena' Idmonis Argonautae matre
2. de ‚Cyrena' Diomedis Thracis matre
3. de ***Κυρράννη*** Ciliciae dea.

De ‚Cyrena' prima et altera, quid mihi indicandum videatur, praemittam: falso ‚Cyrena' nobis pro ‚Pyrena' apud scriptores est tradita. Sequantur argumenta:

1. Hygin. fab. 14 (Schm. p. 46, 10): ‚Idmon Apollinis et Cyrenae nymphae filius, quidam Abantis dicunt; Argivus'. Itaque, quod saepius fit, et deus et homo Idmonis patres esse gloriantur[4]). Hoc uno loco Idmonem ‚Cyrenae' filium esse comperimus; qui tamen Abantis proles (non addita matre) atque natione Argivus saepius nominatur. Sic Apoll. Rhod. (I 140 sq.)

---

[1]) Paus. III 22, 12 cf. Clem. Alex. Paedag. II 8, 73. Wide Lakon. Kulte 121.

[2]) Pind. Pyth. IV 294, Herod. IV 158.

[3]) Kyr. 135.

[4]) composuit multa exempla Usenerus Rh. Mus. 58, 329 sqq.

Ἴδμων δ' ὑστάτιος μετεκίαθε ὅσσοι ἔναιον
Ἄργος . . . οὐ μὲν ὅγ' ἦν Ἄβαντος ἐτήτυμον,
ἀλλά μιν αὐτὸς . . . γείνατο Λητοΐδης.[1])

Maioris tamen est momenti, quod iam Herodorus, Brysonis sophistae pater, e cuius dialogis Platonem multa fabulantur hausisse (Athen. p. 508 d), qui quidem medio quinto vixit saeculo, Idmonem Abantis filium novisse apparet: *ὅτι δὲ Ἄβαντος υἱὸς Ἴδμων φησὶ καὶ Ἡρόδωρος* (Schol. Apoll. Rh. I 139).

Idmon igitur Abantis filius antiquiore nobis servatus est testimonio. Vertamur iam in eiusdem patriam, celeberrimum illud Danaidum receptaculum, quarum stemma nobis praebet Apollodorus (Bibl. II 1, 5; 2, 1).

Ecce in hoc stemmate nobis obviam fit ille Abas, Lyncei et Hypermnestrae filius (II 2, 1, 1). Abanti quamvis in Apollodoro filia tantum tribuitur, Idomene (*Εἰδομένη*), tamen vides etiam Idmoni Abantidae aptiorem non posse inveniri sororem, quam illam virginem: utrumque enim nomen derivatur de eadem radice, cui inest vis sciendi, praesagiendi: Idmon ipse vates est, Idomene mater Melampodis, clarissimi vatis. Neque temere huic stemmati a nobis inseri Idmonem ex eo intellegitur, quod in eadem genealogia re vera alter exstat Idmon, Aegypti filius, qui Danai filiam Pylargam in matrimonium ducit (II 1, 5, 8). Videmus igitur artissimis vinculis teneri hoc in stemmate Idmonem: nulla igitur nobis deest nisi mater. Hygini illam ‚Cyrenam' sane frustra quaeris; attamen, si animum verteris ad illud Danaidum stemma, quod idem Hyginus nobis tradidit (fab. CLXX Schm. p. 33, 20), hic invenies Pyrenam (sic recte codd.) quandam, atque eandem novit etiam l. l. II 1, 5, 5 Apollodori bibliotheca mutato aliquantulum nomine: *Πειρήνη*. Atque coniciat quispiam in Apollodori narratione *Πειρήνη* corruptum esse e *Πυρήνη* (quam formam adhibet Hyginus), quae tamen coniectura mihi infirmior videtur, quia nimis diversa sunt Apollodori et Hygini stemmata, quam quae possint ad eundem reduci fontem. Itaque erravit Buntius,

[1]) cf. Schol. Pind. Pyth. IV 33. Idmon in iis Argonautarum narrationibus, quae nobis sunt servatae, iam ante Argonautarum Colchidem adventum moritur; in Naupactiis et in Eumelo Idmonem cum ceteris Colchide adesse testantur schol. Ap. Rh. III 523 et 1372. Huius tamen herois sepulchrum colebant Heracleae Ponticae, quod apparet ex Herodori narrationibus, qui scilicet ex huius urbis incolarum sententiis suos composuerat libros (cf. schol. loc.).

qui secutus Apollodori testimonium in Hygino coniecit ‚Pirene'[1]. Obtineant igitur in codicibus locum et illa Pyrene et haec *Πειρήνη*. Verisimile tamen mihi quidem videtur, confudisse Apollodori auctorem hanc Pyrenam et nympham illustrissimam Peirenen, quam celebrabant Corinthi. Neque omittamus prope hanc Peirenen in bibliotheca mentionem fieri cuiusdam viri *Πειρήν* ipse in urbe Argis (II 1, 3, 17; II 3, 1, 1), cuius fortasse memoria effecit, ut commutaretur nomen Pyrenae in Peirenae. Conferentibus igitur Hygini et Apollodori testimonia Hyginum rectius nomen Pyrenae servasse concludendum videtur.


Sed utut de hac re iudicas, haec sunt tenenda

a) Idmonem locum obtinere in stemmate Argolico quam firmissimum;

b) apud Hyginum inveniri Danai filiam Pyrenam;

c) apud eundum Hyginum Idmonem Cyrenae filium vocari.

Coniciendum est his exemplis comparatis ultimo in testimonio corruptum esse ‚Cyrena' e ‚Pyrena'. Ita igitur stemma Argolicum est explendum:



2. Pervenimus ad alteram ‚Cyrenam' Diomedis Thracis matrem. Haec invenitur in uno Apollodoro II 5, 8, 1: *ἦν δὲ οὗτος* (sc. Diomedes) *Ἄρεος καὶ Κυρήνης, βασιλεὺς Βιστόνων, ἔθνους Θρᾳκίου καὶ μαχιμωτάτου.*

Hunc ‚Thracem' temporibus posterioribus translatum esse

[1]) W. Schwarz Jahrb. f. Phil. 147 (1893) de his testimoniis non recte iudicat pp. 107, 109. Bene tamen idem observavit eandem discrepantiam exstare in iisdem Hygini et Apollodori genealogiis in nomine Κλεῖτος Hyg. sive Κλειτός (Apd.)

in Thraciam, re vera autem artissime coniungendum esse cum Glauco Potniensi, cuius equi sicut Diomedis hominum carne vescebantur, sagaciter perspexit Wilamowitzius[1]) Diomedemque prope Heliconem optimis fixit causis. Unde haud procul, Trachine, alium invenimus Herculis adversarium, Cycnum, Ceycis generum, qui in Apollodoro II 5, 11, 3 filius Martis et Pyrenae nominatur. Diomedem et Cycnum, utrumque in media Graecia habitantem, utrumque Herculis inimicum, utrumque Martis filium, nonne etiam ex eadem matre Pyrena natos existimemus? Itaque apud Apol. II 5, 8, 1 rectius *Πυρήνης* intellegi coniecerim. Facile enim intellegitur, quo modo factum sit, ut Pyrena minus nota ab notissima Cyrena, quam Eoea et Pindarus carminibus celebraverant, in mythographorum memoria e loco suo eiiceretur, in quem postliminii iure reducere depulsam nostrum est. Eadem factum est ratione, ut etiam Diomedis soror Crestona[2]) recta privaretur matre.

Adiungam hoc loco duas illas urbes, quas, alteram in Massaliotide, alteram in Iberia sitas, affert Steph. Byz. s. v. *Κυρήνη*: in unam urbem atque eandem referenda esse duo illa nomina suspicari licet. Atque inde ab urbe Libyca nomen trahere hoc oppidum coniecit Studniczka[3]) ita ut nullam inesse argumentandi vim in nova hac Cyrena ipse concedat. Non temere tamen mihi videor monere fortasse Pyrenaeos montes, ad quos sita erat urbs, denominari de ipsa hac scilicet non Cyrena urbe, sed Pyrena.

3. Tertium Studniczkae argumentum (p. 142) ex illa Hesychii atque Photii glossa repetitur: *Κυρράννη, ὄνομα θεοῦ γυναικείας Κιλικίων· οὕτω Μένανδρος*[4]). Fortasse monent verba *οὕτω Μένανδρος* (sic in Photio), ut e lexicis Atticistis deprompta sit illa glossa. Hanc tamen deam — est quaedam *Εἰλείθυια*, ut verba *θεοῦ γυναικείας* probant — non posse demonstrari eandem esse atque nympham Cyrenam, ipse iam Studniczka[5]) Maassio monente[6]) recte concessit. Huius enim nominis *Κυρράννης* vel duplici *ρ* notabilis etymologia perobscura est. Ceterum valde dubium est

[1]) ‚Heracles' I² 64 sq. II² 93.
[2]) Tzetz. ad Lycophr. 499.
[3]) Kyr. p. 135 sq.
[4]) Mein. frg. Com. Gr. IV p. 310, 361.
[5]) In Roscheri L. M. s. v. Kyrene 1736.
[6]) Herm. 1890, 408[1].

num omnino Graeca sit haec dea in ultima Cilicia culta[1]), cuius rei causa probabilis afferri nequit: fieri enim potest, ut propria fuerit incolarum Cilicum, quos Herodoti temporibus multo magis ad septemtriones versus pertinuisse constat. Apage igitur istam barbariem! Ceterum exstat quaedam meretrix *Κυρήνη* apud Aristophanem (Thesmoph. 98), quam a Libyca tantum urbe nomen accepisse fortasse recte indicavit Studniczka[2]). Atque digna videbatur esse haec mulier, quae longiore vocis *κύριος* prioris syllabae mensura instrueretur, quippe quae vel ipso nomine indicaret, quanta sit gregalium suorum cultorumque domina domitrixque. Sed fortasse rectius coniicitur hanc meretricem Cilissam fuisse, cuius nomen pendeat ex istius *θεοῦ γυναικείας* voce.

Iam liceat reverti ad Libycam nostram Cyranam, cuius nomen vel in antiquitate derivari ab illo rivo elucet:

Κυρήνη· ἀπὸ Κυρήνης τῆς Ὑψέως ἢ Κύρης πηγῆς ἐγχωρίου[3]).

Atque quaeritur, quomodo formatum sit e voce *Κύρα* nomen *Κυράνα* sive *Κυρήνη*. Conferas quaeso coniungi verba *Μέσση* cum *Μεσσήνη*[4]), *Πέλλα* (urbs Achaiae St. Byz. s. v.) cum *Πελλήνη* (Pind. Ol. IX 146: in Achaia situm), *Πύλη* (St. Byz. s. v. *Ἄβαι*) cum *Πυλήνη* (St. Byz. s. v. *Ὤλενος*), conferas etiam Servii testimonium (ad Aen. III 23), qui virginem quandam, quae mutata esse dicitur in murtum, appellat *Μυρήνη*, rectius fortasse *Μυρρήνη*, quam derivo de *μύρρα* (cf. Myrrham Cinyrae filiam); certum exemplum invenies apud Eustath. 280, 35 atque Steph. Byz. s. v. *ἡ Δία* et *Δῖον*, ubi comperimus incolas huius urbis appellari *Διηνούς*. Quis ignorat illud de urbis aqua?

νᾶμα τὸ Διηνόν, γλυκερὸν ποτόν· ἢν δέ γε πίνῃς
παύσῃ μὲν δίψης, εὐθὺ δὲ καὶ βιοτοῦ.

Ut ex *Δίη Διηνός*, ita ex *Κύρη Κυρηνός*. Iam constat talia adiectiva fieri substantiva retracto accentu. Itaque *γαληνός γαλήνη* sive *Ἰσμηνός-Ἰσμήνη* = *Κυρηνός Κυρήνη* cf. etiam *ἀκμηνός ἀκμή, τιθός τιθήνη, Ἄλκιμος-Ἀλκμήνη, μίτυλος Μιτυλήνη* quae exempla facile possunt augeri. Hoc igitur modo de fontis nomine putaverim illud

---

1) cf. Back Bursians Jahresber. 1891, 64 p. 306 sq.

2) Kyr. 135 sq.

3) St. Byz. cf. Eustath. ad Dion. Perieg. 213, Lentz Herod. I 261, 5. Bekker Anecdota 1173, Studniczka in Roscheri L. M. s. v. Kyrene 1734.

4) sic Apollodorus (apud Strab. VIII 364; cf. Niesii adnotationes Rh. Mus. 32, 271).

nymphae nomen derivatum esse ita ut Cyrana significet ‚Cyra orinndam' (‚die von Kyre'). Fons igitur prior erat urbe, quae ex eo nomen cepit, atque verisimile est iam ante Theraeorum adventum idem huic fuisse rivo nomen sicut ad Pontum Euxinum Artacia fons hoc nomine appellabatur antequam Graecorum coloni has in regiones pervenerunt[1]. Reminiscamur etiam in sinu Arabico idem inveniri nomen teste Hecataeo (St. Byz. s. v. *Κύρα*[2]). *Κύρα* fons, quia a Callimacho brevi usurpatur priore syllaba (II 88), sequitur, ut urbs nymphaque ***Κυράνα*** metro Baccheo sit metienda.

[1]) Niese Entwickl. d. homer. Poes. 223. Wilamowitz. Hom. Unt. 166.

[2]) Sententiam urbis nomen recte derivari a nomine rivi, sperabam me posse fulcire inventa cuiusdam nummi Cyrenaici inscriptione, cuius ea pars, in qua insigne solet imprimi (‚Revers') designatur in libris numismaticis verbis *ΔΑΜΩΚΥΡΑΣ*. Atque affirmat F. Bompois Medailles Grecques autonomes frappées dans la Cyrénaique, Paris 1869 p. 123 extremam huius verbi litteram certe non esse r finirique illo *α* totum verbum; quem sequitur Müller Numism. de l'ancienne Afrique Supplem. 1874 p. 11. Ipse Müllerus recte explicavit illud *ΔΑΜΩ* genetivum doricum esse (cf. no. 42, 323, 324) atque ***Κύρης*** derivavit de nomine fontis ***Κύρη***. Suaviora mihi haec erant, quam ut non eis diffiderem. Atque re vera, cum eximia benignitate Dresselii rectoris clarissimi nummothecae Berolinensis huius nummi, qui hodie est in manibus H. Weberi, medici cl. Londinensis, sigillum in cera impressum inspicerem, illos viros doctos errasse apparebat. Post enim eam litteram, quam ***Σ*** esse affirmavit Bompois, exstant reliquiae alius litterae, quae e iudicio harum rerum peritiorum non potest intellegi nisi *Α* (^). Littera, quae praecedit, non iam potest clarius perspici — ***Σ*** tamen non fuit —, attamen ob insequentem *α* coniciendum est fuisse ***Ν***. Post extremum illud *Α* propter laesam nummi marginem omnia sunt oculorum conspectui erepta; sed secundum aliorum nummorum analogiam videtur legendum esse *ΔΑΜΩ ΚΥΡΑΝΑ*(*Σ* sive (*ΙΟΝ*) (cf. similem nummum Müller no. 236). Nummi, de quo agitur, frons, nomen fert *ΠΟΛΥΑΝΘΕΥΣ* (cf. etiam Müller no. 142–5): omnes hos nummos tribuit vir doctissimus I p. 64 annis 450–322 (cf. I p. 12). Idem nomen invenitur etiam in lapidibus: C. I. Gr. III 5133, Sm.-Porch. no. 3 p. 109: ‚the letters are of a good period'.

Attamen huius nummi, quo exortus sit, tempus certioribus putaverim posse circumscribi finibus. Quid enim sibi vult illud *δᾶμος* hoc in nummo et in no. 236? Oculos vertamus ad similes quosdam tres Atheniensium nummos (alia exempla non inveni): *ΑΘΕ Ο ΔΗΜΟΣ* (*Ἀθηναίων δῆμος*), quos a turbulentis civitatis Atheniensis tempestatibus exortos esse demonstravit U. Köhler (Zeitschr. f. Numism. XII 104) atque incusas esse probavit eo ipso tempore, quo Mithridatis Aristonisque imperio sese liberaverunt Atheniensium cives. ‚Sie sind eine Denkmünze der Wiederherstellung der Unabhängigkeit des Staates.' Atque similis quaedam ratio videtur inesse

Attamen de nymphae Thessalae Cyrenae nominis vi atque syllabae primae mensura quid censemus? Etymologiam non periclitor, quid enim incertis incertam adiungam? Studniczka[1]) quidem de voce *κύριος* nomen esse derivandum sibi persuasit. Neque tamen Hesiodum neque Pindarum, quibus antiquissimis utimur testibus longa uti in Cyrenae nomine litterae *υ* quantitate monendum est[2]). Callimachi demum auctoritas effecit, ut posterioris temporis inde ab Apollonio poetae hanc sibi licentiam permitterent, ut promiscue uterentur et brevi et longa *υ*. Attamen ipse Callimachus quasnam sequitur in adhibendis urbis nympharumque nominibus rationes? Apparet hunc poetam ut secundum mores patrios in nominando rivo *Κύρα* (II 88) brevi utatur *υ*, ita sibi constare in adhibenda brevi urbis Libycae prima vocali (sic II 73, II 91, epigr. XX 5 Wil.), sed, ubi de Thessala nympha disserit (III 206), longam adhibere vocalem, ut etiam metro utramque secernat. Verbum tetrasyllabum *Κυρηναῖος* epigr. XXI 2 brevi, XIII 2 longa afficit *υ*. In tetrasyllabis tamen maiorem concedi variandi facultatem notum est[3]).

---

in his nummis Cyrenaicis. Sub finem quarti saeculi Cyrenam Ptolemaeorum fuisse constat, Cyrenenses tamen, ut semper adversum stimulum calces remittebant, ita etiam contra Ptolemaeum I seditionem conciebant tantosque efficiebant processus, ut auderent Ptolemaei legatos interficere atque ipsa urbe potiti *τὴν ἄκραν περιεστρατοπέδευσαν ὡς αὐτίκα μάλα τὴν φρουρὰν ἐκβαλοῦντες* iterumque legatis illis occisis *ἐνεργέστερον τὴν ἄκραν ἐπολιόρκουν* (Diod. XIX 79, 1—3). Tantisque versabantur in periculis Aegyptii, ut Ptolemaeus et copias pedestres et navales mitteret contra seditiosos Agisque imperator *ἐνεργῶς διαπολεμήσας τοῖς ἀφεστηκόσιν ἐκυρίευσε κατὰ κράτος τῆς πόλεως*. Haecce evenerunt anno 313 (sic recte iam Thrige Res Cyren.[2] p. 212 sq. cf. Niese Gesch. Alex. d. Gr. I 293). Iam illis nummis, qui regis insigne praebent nomenque, alios opponit *ὁ δῆμος* quasi suae ipsius maiestatis testes; itaque hunc nummum anno 313 ab urbis civibus consulto ac ratione nomine *δάμω Κυρανάων* ornatum esse coniiciendum est. Exstat nummus apud Bompois in libri titulo, melius in the Montagu Collection of coins. Catalogue of the Greek series. London 1896. tab. 10, n. 804.

1) Kyr. p. 151 sq.

2) de meretrice Aristophanea cf. supra p. 29.

3) Quamquam non primus, tamen delectatur etiam Callimachus in variandis eiusdem verbi numeris metricis. Sic anceps est prioris syllabae mensura in voce *καλός* (h. I 55 et epigr. XXIX 3). Atque quamvis in IV 64, 173, 277 *Ἄρης* brevi sicut solet instruatur *α*, tamen idem poeta h. I 77, IV 133 scripsit

τευχηστὰς δ' Ἄρηος . . . ἀλλά οἱ Ἄρης.

Callimachus igitur profectus a patriae Cyranas nominis syllaba brevi, ad unam seiungendam Thessalam huius nomen longa *υ* instruxisse censendus est. Itaque si quis etymologiae studiis operam dat, principium sumendum est ad explanandam Thessalae nominis auctoritatem ab Eoeae Pindarique *Κῡρήνη*, Studniczkae autem sententia de voce *κύριος* hoc nomen esse derivandum nullo modo probari potest.

Aliam viam ingressus est Bechtelius[1]), qui recte orsus a brevi *υ* idem valere nomen Cyrenae atque Coronidis demonstrare conatus est. Quae quantum valeant, peritioribus relinquam.

Atque quo infirmior est ipsius nominis Cyrenae Thessalae vis et auctoritas, eo fallacior Maassii est coniectura, qui ob externas quasdam similitudines urbium *Ἀντίκυρα* nomina cohaerere cum hac nympha Thessala sibi persuasit[2]). Inter nympham enim et tres[3]) illas huius nominis urbes, quarum duae videntur fuisse Phocensium[4]), tertia Locrorum, nisi nominum quaedam similitudines nullae exstant necessitudines. Atque in ipsa altera Phocensium urbe satis videtur mirificum, quod, quae exadversum est urbs, semper vocatur *Κίρρα* (neque *Κύρα*; Marmor Parium *Κύρρα* Flach no. 53) montique, qui interiacet, nomen est *Κίρφις*, ut posset coniici re vera *Ἀντίκιρραν* rectius scribi, nisi aliquid opponerent difficultatis inscriptiones nummique[5]). Addit porro Maassius, prope quandam harum urbium inveniri locum Hypata, atque quia Studniczka[6]) Cyrenae patrem Hypseum re vera Iovem Hypsistum esse coniecit Maassius inesse aliquid opinatur momenti, quod hoc loco coniungantur pater et filia. Primum tamen nulla re commoveor, ut Studniczkae coniecturam rectam esse concedam. Quid enim? an ille quoque, qui inest in media

[1]) Götting. Nachr. 1890, 37 sq.

[2]) Götting. Gelehrte Anzeig. 1890, 345 sqq.

[3]) affert Strab. pp. 416, 418; 434; 428, 434.

[4]) Phocensium enim fines antiquioribus temporibus patuisse supra Thermopylas ad septentriones apparet ex Herodoto (VII 176. 215 et Steinii adn., cf. etiam VIII 27 sqq.) videnturque porro pertinuisse usque ad Spercheum, quod potest concludi et ex duobus Anticyris prope Lamiam Cirrhamque et duobus oppidis Trachidis nominibus instructis (de minus nota illa ad Parnassum sita cf. Strab. p. 423).

[5]) La Bas 1002, Head hist. numm. p. 288.

[6]) Kyr. 147.

genealogia Elea[1]) Hypseus pro Iove est putandus? Porro si concederem inesse in nomine Hypsei vim atque auctoritatem ‚summi', quid obstaret, quominus e. g. Aesculapium fuisse Cyrenae patrem coniicerem? Exstant enim etiam Ἀσκληπιοὶ ὑπαιαῖοι[2]). Sive Apollinem? Epidauri enim invenitur Ἀπόλλων Ὑπαιαῖος[3]). Verum nomen Ὕπαια quid sibi velit nonne clarius ipsum indicat? Quid igitur enitamur, ut doctrina superemus ipsos incolas, qui e loci natura nomen indiderunt suae urbi? Itaque nisi afferri possunt causae ex ipsis rebus depromptae, quibus cohaerere Ἀντίκυραν et Ὕπαια cum nymphae Thessalae nomine affirmetur, mittenda sunt leviora ista argumenta[4]).

Hisce enim augeri non licet minores nymphae Thessalae partes, cuius omnes explentur vices in pariendo Aristaeo atque in superandis canibus ad tumulum Iolciacum[5]). Ne illud quidem compertum habemus, num iam ante Callimachum istis interfuerit ludis. Ob unum igitur illustrem filium[6]), quem genuit, sors melior detulit usque ad nostros dies Thessalae nymphae memoriam quam aliarum nympharum, quae olim versabantur in hominum ore. Quis umquam accepit de nympha Mycena? Quam tamen una cum Tyrone et Alcmena laudat ipse Homerus (β 120): περικαλλέα enim erant ἔργα τάων, αἳ πάρος ἦσαν ἐυπλοκαμῖδες Ἀχαιαί, Τυρώ τ' Ἀλκμήνη τε ἐυστέφανός τε Μυκήνη[7]).

Atque simplicem hanc nympham veteris illustrisque

[1]) Diod. IV 69, 3.

[2]) I. G. Ins. V 156, 162. Ἀσκληπιῷ Ὑπαιαίῳ Olympios Ἀθήν. V 1876, 31, 32.

[3]) Ἐφ. ἀρχ. 1881 p. 24 (Preller-Robert, Griech. Myth.[4] 525, 1).

[4]) de Eurypylis, de quibus Maassius disserit l. l, in altero capite disputabitur.

[5]) Eadem nympha Thessala apud Vergilium Georg. IV 315 sq. Peneo flumine domicilio utitur.

[6]) Eadem ratione, ut unum, de quo non recte indicavit Studniczka (Kyr. 146) afferam exemplum, in uno enitendo filio ponitur Theronis nymphae gloria, quae Chaeroneae peperit ex Apolline Chaeronem, qui huius vici fungitur munere herois eponymi (fab. in Paus. IX 39, 4; 40, 5). Neque secerni posse hanc Theronem ab illa Κόρη, quae in finitima Lebadea ornatur Κόρης θήρᾳ (‚der Jungfrau Jagd' sicut Ἀρτέμιδος λιμνῶν), ex eo apparet, quod arte cohaeret nomen Θηρώ cum illa θήρα, quam possidet Lebadea. Itaque eadem utuntur finitimi illi vici nympha, quae in altero peperit filium, in altero voluptate fruitur venandi.

[7]) Etiam in Magnis Eveis illa partes egit (Paus. II 16, 4) atque ἐν τῷ Κύκλῳ (Schol. Ambr. et Harl. ad Hom. Od. β 120).

deae afficere honoribus nefas esse non est quod uberius explanem. Neque haec Thessala digna est, quae dea habeatur neque illa Libys. Thessala versatur in nymphis Thessalis, una e multis; Libyca unius urbis Cyrenae nomen tutelare est putandum. Vel ex eo, quod illata in mythologiam ratione historica demonstrari potest e duabus personis olim diversis concrevisse unius hominis studiis unam illam puellam Cyrenam, quae inde ex Eoeae temporibus ad hunc diem decepit hominum animos, intellegitur mittendam esse Cyrenam Dianae ut nunc dicunt, hypostasin[1]), mittendam esse porro veterem illam Graecorum deam, quae exstat in fronte operis Studniczkae.

Quae si vera sunt, sane fieri non potest, ut recte Studniczka cum Cyrenae nomine coniunxerit vascula illa Melia[2]), quorum in altero cernitur femina cervum, in altero leonem manibus tenens. Sed ad illorum est redeundum sententiam, qui Dianam, alis instructam, quam solent afficere nomine Dianae ‚Persicae'[3]) illic esse effictam putarunt, *πότνιαν θηρῶν,* cui dicto audientes sunt etiam leones; saepe in monumentis expressam

[1]) Neque ipse Studniczka pristinam suam coniecturam, qua congruere Dianae Κόρης et Cyrenae nomina demonstrasse sibi videbatur (Kyr. 146) nuper, cum iterum hisce rebus in Roscheri L. M. operam daret, iterum criticorum opposuit obelo.

Aliam Dianae ‚hypostasin' Studniczka quidem iudicat esse Callistonem; non recte tamen (Kyr. 149) antiquius insulae Therae nomen ‚Callista' monere censuit de Diana Callistone, quod nomen posterioribus temporibus certas quasdam rationes secuti eidem indiderint homines Peloponnesii: secernendum non est illud nomen a magno similium numero, quibus pleraeque illae insulae quondam nominatae fuisse dicebantur; quae nomina non in suo quodque loco enata esse, sed cuiusdam hominis studiis una exorta esse recte iudicavit Wilamowitz (Aristot. u. Athen. II 26[31]). Sic Sicinus-Oinoie (Schol. Ap. Rh. I 624), Cea-Hydrusa (‚Heracl. Pont.' de re publ. IX p. 13 Schn.), Sardo-Ichnusa (Paus. X 17, 2), Icaria-Doliche (Apollod. II 6, 3), Rhodus-Ophiussa (Plin. N. H. V 31) eodem loco Cos-Merope, Nisyrus-Porphyris; Cythnus-Dryopis (St. Byz.), idem Steph. Anaphe-Membliaros, Casus-Astrabe sive Achne (Plin. l. l.), Ios-Phoenice, Siphnus-Merope; Sami cognomina sicut Rhodi cf. Strab. XIV 637, X 457, XIV 653 (ex Apollodoro: Niese Rh. M. 32, 296).

[2]) Kyr. 35, 162.

[3]) Re vera abhorrere eam a Persarum dea, quae Anahita vocatur, firmissimis causis nuper probavit A. Körte, Athen. Mitt. XX 8 sqq., postquam Studniczkae argumentis (Kyr. 156) non satis perterriti iterum falsum coniectarunt G. Radet et H. Ouvré Bull. de corresp. hellen. XVIII 1894, 129 sqq.

esse comitantibus bestiis hanc deam notam esse. Simili modo in nummo, quem affert Studniczka[1]) ut non Cyrenam cognosci ita Hesperidem una cum Hercule recte iam docuit Maassius[2]), deque Hesperide etiam in illo vasculo Naucrati reperto[3]) malim cogitari: Cyrana in leone necando videtur officio suo perfuncta esse[4]).

[1]) Kyr. 20.

[2]) Götting. Gel. Anz. 1890, 339.

[3]) Kyr. 18.

[4]) de daemonibus alis instructis, qui circumvolant Hesperidem, cum Studniczkae conferas Crusii coniecturas (Philol. 52, 1894, 703 sqq.).

Caput I.
de nymphis et locis.
Caput II.
de fabulis, quae pertinent ad Cyrenensium origines.
Caput III.
de veris Therae et Cyrenarum incolis,
de tempore, quo conditae sint Cyrenae.
de antiquissima urbis sede.

Vita.

Ludolfus Malten Berolini natus sum 11. Nov. anno 1879 patre Ludolfo matre Betsy parentibus carissimis; fidei addictus sum Christianorum evangelicae confessioni. Decem annos natum gymnasium me recepit Berolinense, quod nomen trahit de Friderico Guilelmo rege. Floret adhuc Noetelii auspiciis, viri doctissimi optimeque de me ac studiis meis meriti.

Autumno anni 1898 instructus maturitatis testimonio in universitate Berolinensi studiis me dedi philologis, non tamen ita ratus virum fieri vere philologum, si cautius coercerer in angustis eorum rationibus, qui nullam ob rem ingenii sui vires intendunt nisi ut augeant suam fortunam; sed ubi bene in litteris, ibi haesitans depavit animus flores. Neque tamen ut mergerer inter alius cuiusdam almae matris cives mihi persuasi, devinctus non solum eorum virorum scholis, quos ut ipse litteris adolescebam ita cupidior sequebar in verae scientiae quaecumque patebant atria, sed maxime exercitationibus in Dielesii et Wilamowitzii seminario habitis, quibus cum per sex semestria interfuissem sodalis, quorum quattuor senior, invitus tamen discessi. Etiam Vahleni disputationibus acutissimis in seminario philologo habitis per unum semestre sodalis interfui extraordinarius. Neque omittam per duo semestria in Erici Schmidtii exercitationibus optime me instructum esse philologiae Germanicae arcanis. Heinzii denique lepidis scriptorum interpretationibus et Schulzii colloquiis grammaticis grato semper interfui animo. Examen rigorosum magna cum laude sustinui die XIV. m. Januarii.

Scholis me docuerunt viri doctissimi Dessau, Dessoir, Diels, Dilthey, Graef, Harsley, Heinze, Helm, Herrmann, Hirschfeld, Kekule de Stradonitz, R. M. Meyer, Münch, Paulsen, Roediger, E. Schmidt, Joh. Schmidt †, W. Schulze, Schumann, Seeberg, Stumpf, Thiele, Thomas, Tobler, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff.

Quibus omnibus, quam tribuere decet, habeo gratiam, imprimis tamen Dielesio et Wilamowitzio. Atque si mihi contingat, quod in animo est, ut aliquantulum illi praestem scientiae, cui totum me dedi, pia mente adscribam eorum studiis in me fidelissimis.